



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1650

Prooemium De Institutio Narrandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

PROOEMIUM
DE INSTITVTO NARRANDI

Populo exempla ex Vitis Sanctorum, aut aliorum gestis.

INSTITVTVM hoc Populo narrandi Exempla, ex Vitis Sanctorum, aliorumue gestis, Salmantica cepit exili principio. Pater quidam Zelosus & Deuotus solebat Dominicis diebus ac Festis, sub vesperum, in aliquo loco, iuxta portam Collegij, congregare paucos studiosos sibi familiares, eosque aliqua narratione sacrorum Exemplorum recreare. Fama breui multos attraxit, tandem ita excreuit desiderium audiendi, ut neque schola, neque templum concurrentes caperet; sed necesse fuit atrium Collegij, quod vastissimum est, huic operi designare, quod ita repletur, quoties hac narratio fit, ut solum capita audientium emineant, & aegre praecompressione multitudini manus a quoque ad deponendum pileum, nominato IESV vel MARIA, attolli possit. Concurrunt Flos schola & ciuitatis, neque infimi absunt. Hinc propagatum est hoc Institutum in totam Hispaniam, quin & in Indias, Mexicanas, Peruanas, ut item in Philippinas Insulas, passim incredibili concursu, applausu, & fructu, ut nec multarum Concionum utilitas cum vnius Exempli bene narrati fructu comparanda sit.

Instituitur narratio passim in quadragesima (alicubi etiam in Aduentu) vel binis, vel ternis diebus in hebdomade, idque sub Vesperum, ut ante crepusculum, idque propter honestatem, mulieres domum redire possint. Alicubi iam etiam coepta narratio hac intra annum subinde Dominicis diebus, quando docetur Catechismus, in publico foro. Experimentia docet, magis trahi populum, quam alijs exhortationibus Catechisticis. Et hac ipsa Exempla ista accommodari possunt ad capita Catecheseos qua tractantur, ut Explicationis & Exhortationis loco sint.

Quaruntur Exempla magis apta & efficacia, ad insignes animorum motus excitandos, & prolixiora, ut facile media hora narratione infumi possit. Alioquin tamen, sed rarius coniunguntur duo Exempla, rarissime tria: & tunc talia sunt, ut vel appositos euentus, vel plane similes, in eis intueri liceat, sicque vnum alterum confirmet.

Ascendit Narrator sub gestum sine superpelliceo, quod eò fieri putato, quia initium narrandi, ut dictum est, vel in aliquo cubiculo, vel in schola, vel in atrio fuit, hinc etiam in templis absque superpelliceo narrari ceperunt. Magis tamen probarè, ut ubi modò sit in templo, superpelliceum adhiberetur. Cum aequè sacer actus sit, atque alij, qui ex suo gestu sunt.

PRO OEMIUM.

Statim flectit genua, & breuem secretam orationem instituit, signat se sacra Cruce, & absq; themate, prefatione, & ambagibus, statim ad rem ipsam venit. v. g. dicit, quanti referat à blasphemis abstinere, non manere in statu peccati mortalis, esse deuotum B. Virgini, frequenter confiteri, dignè communicare, &c. id satis doceri hoc, vel illo Exemplo, quod narraturus sit. Auctorem exempli esse talem vel talem historicum, vel S. Patrem, cuius, vel quorum auctoritatem breuiter commendat, ut exemplo auctoritatem conciliet, vel si nostra aetatis Exemplum est, loca & testes allegat, &c. Tunc narrationem instituit valde graphicam & patheticam, dilatatam & amplificatam ijs circumstantijs, quae vel in historia exprimuntur, vel (ut res humanae sunt) praesumi queunt probaliter interuenisse. Abstinet ab omnibus digressionibus prolixioribus, & quaecumque filium historiae interrumpere, vel animum audientium plusculum ab eo diuertere possunt. Contra, quae doctrinam afferre, vel motum excitare possunt, aut accommodata ad id Epithetis, tropis vel figuris ipsi narrationi immiscet, vel absoluta periodo, aliqua exclamatione, vel dicto, vel epiphonemate, vel admonitione quasi obiter indicat, & statim rectè narrationem prosequitur, quam tandem absoluit cum energia aliqua particulari, vel ex abrupto sine peroratione, ut animi magis suspensi maneant, vel breuissimam monitiunculam doctrinam & fructus, quem domum asportare debeant. Iniungit etiam aliquando, ut statim tria Ave Maria vel quid simile, ad fructum obtinendum, vel pro ijs, quibus Exemplum accommodari potest, recitent, sicq; de suo gestu descendit, & Auditores domum absunt. Aliquando tamen in quadragesima (ubi in templo narratio fit.) eà absoluta cantatur lugubri voce, & valde tristem psalmus Miserere, cum aliqua Collecta. Hac ratio huius instituti.

Aliunde simile institutum viget, in hac Prouincia inter nostros: Toto anno in dies Ieiuniorum, & quibus est narratum exemplum in templo, in recreatione vespertina sub ultimam quadrantem, quando iam omnes adsunt, aliquis ex Patribus, vel Fratribus studiosis, aut Magistris, quem ordo tangit, paucissimis verbis narrat, omnibus silentibus, & audientibus breuissimum Exemplum Religiosis accommodatum, similiter nominans Auctorem, qui illud scribit. Et quò breuiore est hac narratio, eò melior. v. g. ut Miserere consueto modo recitatum non excedat, quo absoluto omnes ad sua colloquia redeunt, alicubi tamè statim duo vel tres ibi publicè doctrinas morales referunt, quas ex eiusmodi exemplo capere

PROOEMIUM.

capere possumus, sed hoc per modum recreationis, ut viri⁹ Eutrapiæ docet.

Prioris Instituti fructus præcipui hi sunt. Primum admirabilis delectatio & commotio animorum, & conuersio morum in audientibus. Secundo occupatio Vtilissima Nostrorum: qui enim semel hanc narrationem gustare coeperunt, numquam satiantur legendo, & querendo exempla in varijs auctoribus, eorumque compendia sibi faciendo. Tertio impletio Regula sacerdotum de comparandis exemplis Sanctorum contra singulas peccatorum species &c. quæ absque tali usu & exercitio ferè vel friget inter nostros, vel omnino negligitur. Quarto optimus usus talenti, quod aliqui habent narrandi, cum concionandi talentum non habeant, sunt contra aliqui (quamuis pauciores) habent talentum concionandi, qui narrandi non habent. Quorum (priorum scilicet) talentum, ne absque fructu defossum maneat in terra, expedit ubique, introduci hoc institutum, etiam mandato R. P. N. Generalis si opus foret. Est enim ex ministerijs maxime proprijs Societatis, eiusque sancto zelo omnibus medijs possibilibus, ad maiorem Dei gloriam, animorum profectum procurandi imprimis dignis.

Hæc his ipsis verbis, ex Hispania, ad nos transmissa placuit apponere, quia non solum ostendunt, quanta sit Vis & Virtus Exemplorum vniuersim, verum etiam docent: quæ sit prima origo, exempla narrandi, ad eum modum, quo apud nos, primum Ingolstadij à Patribus nostræ Societatis, deinde etiam paulatim, in reliquis Germaniæ urbibus, per quadragesimæ tempus, ante quadraginta iam annos, cum utilitate pariter, ac iucunditate coeperunt commemorari. Petierunt autem iam diu complures à me, ut eiusmodi Exempla in publicum emitterem, exempli gratia, atque in memoriam posteritatis dicturæ: *Quanta audiuimus, & cognouimus ea: & Patres nostri narrauerunt nobis. Non sunt occultata à filijs eorum, in generatione altera. Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit.* Et sanè aliquam multa iam hinc inde libris de iudicijs, quæ Deus in hoc Mundo exercet, inspersi, vna cum epimythijs suis. Hic iam eodè ordine aliquot promo, quo in vna quadragesima, de septem Capitalibus vitijs fuerunt recitata, quibus deinde aliorum quoque nonnullorum annorum Exempla subiungentur. Tu, Lector, boni consule, & quod deest Actionis, tuo affectu compensa; ut Exempla habeas animata. Neque enim audita dumtaxat, sed etiam lecta profunt, si, sicut debent, legantur, si-

Psal. 77. 3.

ue

PROOEMIUM.

ne ab ijs, qui se reos agnoscunt, siue qui se arbitrantur innocentes.

Ouid. li. 3. de
Pont. eleg. 2.

Cum feriant unum, non unum fulmina terrent :

Iunctaq; percusso turba pauere solet.

Cumq; dedit paries ventura signa ruina,

Sollicito vacuus fit locus ille metu.

Quis non è timidis agri contagia vitat,

Vicinum metuens ne trahat inde malum ?

Verè dixit Seneca : *Ex vitio alterius, sapiens emendat suum. Optimum est, maiorum sequi vestigia, si rectè præcesserint.* Sequenda mox dabimus ; ex vitio aliorum emendanda, nunc damus. Bona spe

Macrobi. lib.
3 Saturn.

fructus secuturi. Neque enim tantum plebeia ingenia magis exemplis, quam oratione capiuntur, vt Macrobius putauit, sed rectè princeps oratorum dixit: *Duo illa nos maximè mouent, similitudo & Exemplum.* Mouent autem siue ad imitandum, siue ad fugam etiam

Cic. lib. 3. de
orat.

lecta: *Considerandum,* inquit idem Macrobius, *hunc esse fructum legendi, emulari ea, qua in alijs probes: & qua maximè inter aliorum dicta mireris, in aliquem usum tuum opportuna deriuatione conuertere, quod & nostri tam inter se, quam à Græcis, & Græcorum excellentes inter se saepe fecerunt.* Si mouent igitur pulchrè dicta, vel facta ad amorem: poterunt ad odium quoque mouere, quæ detestanda ostenduntur. Inter quæ maximè sunt peccata, & maximè septem illa, quæ, quia fontes sunt omnium peccatorum, Capitalia nominantur, similia bestia, quam Ioannes vidit de mari ascendentem, habentem capita septem, & cornua decem, & super cornua eius decem diademata, & super capita eius nomina blasphemie. Contra quam bestiam, tamquam contra Lernæ paludis hydram, totidem capitibus, quot exciduntur, identidem renascentibus, in omni vita est depugnandum. Bestia, quam vidit Ioannes, similis erat pardo, & pedes eius, sicut pedes ursi, & os eius, sicut os leonis. Nimirum quomodo in theatralibus scenis, vnus atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem, ait S. Hieronymus: *Ita & nos tot habemus personarum similitudines, quot peccata.* Quemadmodum igitur varijs morbis varia pharmaca; sic & varijs vitijs varia adhibenda sunt Exempla. Si quidem, vt Philosophus ait: *Exemplis vitimur in dicendo, vt facilius intelligatur, quod dicitur.*

Macrobi. lib.
6. Saturn.

Apoc. 13. 1.

Ibid. n. 2.

S. Hieron ad
Marcellam.

Aristot. lib. 1.
de art. Poët.

CAPVT